



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Innocentio XI. Ad Innocentium XII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

1. Motu proprio &c. Exemptiones, & Indulta concessa Dapiferis, qui in
Conclavi suæ assumptionis S.R.E. Cardinalibus inservierunt.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74849)

Canonizationis ejusdem S. Joannis à S. Facundo in suis respectivè Ecclesiis celebrare intendant. Nos ad augendam fidelium Religionem, & animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ Thesauris piâ charitate intenti; Omnibus & singulis utriusque sexus Christianis fidelibus, verè poenitentibus & confessis ac Sacra Communione refectis, qui Ecclesias quorumcumque Conventuum, Monasteriorum, & Domorum Regularium, tam Fratrum, quàm Monialium dicti Ordinis, ubicumque Locorum existentes, die quo solemnitas, seu Festivitas Canonizationis hujusmodi ibidem respectivè celebrabitur, vel aliquo ex septem diebus immediate sequentibus devotè visitaverint, ac ibidem pro Christianorum Principum concordia, hæresium extirpatione, ac Sanctæ Mariæ Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum, Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus pro unica vice, quoad Ecclesias prædictas, earumque singulas valituris. Volumus autem, ut si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione præsentium aliquid, vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, præsentibus nullæ sint; utque earundem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud, ubicumque locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent ex, hibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 28. Novembris 1690. Pontificatus nostri anno secundo.

J. F. Card. ALBANUS.

INNOCENTIUS XII.

PONTIFEX CCXLVI.

ANNO DOMINI MDCXCI.

INNOCENTIUS DUODECIMUS, Neapolitanus Antonius Pignatellus antea dictus, Ducis Minervini filius, S.R.E. Presbyter Cardinalis tit. S. Pancratii, & Archiepiscopus Neapolitanus. Romæ die 12. Jul. 1691. Summus Pontifex renunciatus & die 15. ejusdem mensis coronatus est. Creavit Cardinales 29. obiit die 27. Septembris anni 1700. Sepultusque est in Basilica Vaticana. Vacavit Sedes mensē unum, dies 26.

- I. Privilegia, Exemptiones, & Indulta concessa Dapiferis, qui in Conclavi suæ assumptionis S.R.E. Cardinalibus interfuerint.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Urbis.

S. I.

Causa Indulti.

Motu proprio &c. Nos volentes dilectos filios nostros, dum Cardinalatus honoreungebamus, & Venerabilium Fratrum nostrorum S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Dapiferos, qui Conclavi, in quo Divinâ favente Clementiâ ad Summi Apostolatus apicem assumpti fuimus, interfuerint, quique ea de causa labores, vigilas, incommoda plura subierunt, habita ratione obsequiorum hujusmodi, favoribus, gratiis, & privilegiis pro cujuscumque meritis exornare, ac eisdem Dapiferos, & eorum singulos, Motu proprio, non ad ipsorum Dapiferorum, vel alterius pro ipsis Nobis super hoc oblata petitionis

instantiam, sed de mera liberalitate, certa scientia nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine in veros, indubitatos & non fictos Familiares continuos Commensales nostros, & eos, qui ex illis Clerici existunt, seu militiæ Clericali adscribi desiderant, quousque tres ex præfatis Cardinalibus in quolibet Ordine antiquiores gradu, nobilitate, & aliis meritis dignos tali dignitate judicaverint, in Nostros, & Apostolicæ Sedis Notarios, sine tamen præjudicio dilectorum filiorum Notariorum de numero participantium tenore præsentium recipimus, & tam illos, quàm alios Dapiferos, singulos, qui sigillatim ab eisdem tribus Cardinalibus dignitali honore approbati fuerint, Sacri Palatii, & Aulæ Lateranensis Comites, & Milites, ac tam illos, quàm alios omnes quoscunque Dapiferos indistinctè, qui Nobiles non sunt, Nobiles, quique Urbis, vel alicujus alterius ex Civitatibus, temporali dominio dictæ Romanæ Ecclesiæ mediare, vel immediate subjectis Cives esse voluerint, singulos in ea ipsa Civitate, quam sigillatim quisque eorum elegerit, & ad quam ab eisdem Cardinalibus se admitti petierit, veros Cives ad instar, & nullâ prorsus differentiâ inter eos, & singulos alios veros originarios, & antiquissimos, & Nobiles participantes Cives ipsius Urbis, vel Civitatis, ita ut ipsum civilitatis jus ad quoscunque eorum hæredes eodem modo transeat, creamus, constituimus, & deputamus, ac Nobilitatis, & Civilitatis titulo, & honore, & insigniis decoramus, aliorumque Familiarium continuorum Commensalium Nobis actu in Palatio nostro Apostolico servientium, & in illius tinello comedentium, & bibentium, Nostrorum, & Sedis Apostolicæ Notariorum, Palatiique, & Aulæ præfate Comitum, Militum, & Nobilium, & Civium hujusmodi originariorum numero, & consortio favorabiliter aggregamus, & pro veris, indubitatis, & non fictis Familiaribus, continuis Commensalibus, ac Notariis nostris, Comitibusque, Militibus, Nobilibusque, ac Civibus deinceps haberi, & reputari volumus, & mandamus, eisque in quibuscunque impetrationibus, ac concessionibus, & litteris, tam gratiam, quàm justitiam separatim, seu utramque mixtim concernentibus se Familiares, continuos Commensales nostros, & Comites, Milites, Nobiles, ac Cives, & Originarios nominari, nec propterea impetrationes, concessiones, & litteræ ipsæ subreptionis vitio subiaceant, sed validæ, & efficaces existant, ac ex nunc deinceps, & in perpetuum omnibus, & quibuscunque, prorsus similibus antelationibus, antelationum prærogativis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, decretis, & declarationibus, derogationibus, mandatis, suspensionibus, favoribus, gratiis, privilegiis, indultis, ac juribus, quibus alii nostri Familiares tempore dictæ assumptionis nostræ ad Summi Apostolatus apicem, ac quibus alii ejusdem Sedis Notarii, etiam de numero participantibus, existentes, etiam si habitum, & rochetum Notariorum ipsius Sedis non deferant, Palatiique, & Aulæ prædictæ Comites, & Milites, ac Nobiles originarii, & antiquissimi Cives ejusdem Urbis, vel Civitatis, quam ut præfertur, elegerint, quicunque ex utroque Parente verè Nobili, ac Cive originario, & antiquissimo procreati de jure, statuto, consuetudine, vel aliâ ex aliquo speciali privilegio, seu aliâ etiam per quascunque litteras, seu Constitutiones Apostolicas pro tempore editas, utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, ubique locorum in judicio, & extra, sine tamen eorumdem Notariorum de numero participantium præjudicio, uti, frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant realiter, & integre, in omnibus, & per omnia, etiam si in Urbe, & Civitate hujusmodi non habitaverint, perinde, ac si de vero nobili genere ex utroque Parente originarii, & antiquissimo Cive procreati forent, & hujusmodi prærogativæ, Privilegia exemptiones, gratiæ, favores, concessionibus, indulta, & jura, quæ pro aliis Nobilibus, & Civibus originariis emanarunt, & quæ ratio-

Dapiferi
constitu-
tur fami-
liares Papæ
Notarii
Apostolici
Comites
Palatini,
Nobiles,
ac Cives
Urbis ipsius
benevolentia.

ne Nobilitatis, & Civilitatis naturalis, & originariæ aliis competunt, pro eisdem Dapiferis in specie emanassent, seu emanarent, & eis naturaliter de jure, statuto, consuetudine, fundatione, vel aliâs compererent, vigore præsentium indulgemus.

Eximuntur à solvendis Decimis Ecclesiasticis, non tamen à jam impositis ab Innocentio XI.

§. 2. Ac singulos Dapiferos præfatos à solutione, & exactione Decimarum Ecclesiasticarum, ubique locorum, & ex quacunque, quantumvis urgentissima, & incogitabili causa, & occasione, etiam ad instantiam Imperatoris, Regum, Rerumpublicarum, etiam Venetorum, & quorumcumque aliorum Principum impositarum, & pro tempore imponendarum, non tamen Decimarum per felices recordationis Innocentium Papam XI. Prædecessorem nostrum impositarum quarto Kalendas Octobris Pontificatus sui anno septimo, & per eundem extensarum, seu indictarum ad aliud triennium per litteras in forma Brevis sub die vigesima quinta Novembris anno millesimo sexcentesimo octuagesimo octavo Pontificatus sui anno tertio decimo, necnon aliarum Decimarum, subsidiorum, & onerum impositorum in subsidium expeditionis contra Turcas, & Orthodoxæ Fidei hostes, liberamus, & eximimus, liberisque, & exemptos fore, & esse decernimus.

Condonantur fructus Ecclesiastici male percepti

§. 3. Necnon ipsi Dapiferi, eorumque singulis quoscunque fructus, & proventus Ecclesiasticos tam occasione pensionum annuatim ipsis: vel eorum alicui reservatarum, quam ratione omissionis recitationis horarum canonicarum indebitè perceptos, cujuscunque quantitatis fuerint gratiosè remittimus, & condonamus.

Absolvuntur à Censuris propterea, & per sublequantam celebrationem contractis.

§. 4. Ac cum eis super inhabilitate per eos propterea quomodolibet contracta, vel etiam ex eo, quod censuris hujusmodi ligati Missas, & alia Divina, non tamen in contemptum clavium celebraverint, aut alias in Divinis se immiscuerint, ut illâ, & eisdem præmissis non obstantibus, ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines, aliâs tamen rite promoveri, & in illis etiam susceptis aliâs rite per eos Ordinibus, etiam in Altaris ministerio ministrare etiam libere, & licite valeant, dispensamus.

Illegitimi restituunt natalibus etiam ad effectum successione, & ad Dignitates, Honores, & Officia.

§. 5. Ac eosdem Dapiferos, si qui eorum defectum natalium patiuntur ex quocunque damnato, & illicito coitu, etiam si ex nobilissimis parentibus, ac viribus feminis forsan procreati sint, etiam si legitimi aliâs existant, legitimamus, omnemque ab illis genituræ hujusmodi maculam, sive notam abstergimus, & abolevimus, & abolemus, ac legitimis natalibus restituimus, ac cum eorum singulis, ut in quibuscunque bonis paternis, & maternis, & aliorum consanguineorum, seu cognatorum, vel aliorum quorumcumque, non tamen feudilibus, & emphyteuticis, aut Ecclesiasticis, vel ab Ecclesia acquisitis, ac sine præjudicio venientium ab intestato, vel ex fideicommissis, seu aliâs de jure valida dispositione succedere, & illa donationis, seu alio quovis titulo consequi, & habere, ac ad æquales portiones cum legitimis succedere, eos ad omnia jura legitima, & successiones ex testamento, vel ab intestato hæreditates, legata, libertates restituendo, & reintegrando realiter, & cum effectu: necnon ad dignitates, honores, & quæcunque alia officia secularia, publica, vel privata etiam assumi, illaque gerere, & exercere in omnibus, & per omnia, ac si de legitimo matrimonio procreati forent;

Cum iisdem dispensatur ad Ordines, & Beneficia.

§. 6. Ac eodem defectu non obstante, si aliud Canonicum eis non obstat impedimentum, ac Clericali charactere, qui illo nondum insigniti sunt, insigniri, & ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines, si ad illos nondum promoti sunt, promoveri, & postmodum charactere, & Ordinibus hujusmodi, illorumque privilegiis uti, ac in eisdem Ordinibus, etiam in Altaris Ministerio, ministrare, ac quæcunque, & quæcunque cum cura,

& sine curâ Beneficia Ecclesiastica, etiam si Personatus, Administrationes, & Officia, etiam curata, & electiva in Cathedralibus, & Metropolitanis, vel Collegiatis Ecclesiis, seu si Parochiales Ecclesiæ, vel earum perpetuæ Vicariæ, ac Canonicatus, & Præbendæ, non tamen in Cathedralibus, ac Dignitates, non tamen in eisdem Cathedralibus, post Pontificalem majores, nec principales in Collegiatis Ecclesiis hujusmodi fuerint, si sibi aliâs Canonice conferantur, aut ipsi eligantur, præsententur, vel aliâs assumantur ad illa, & instituantur in illis, recipere, & dummodò plura simul non sint, quàm quæ à Concilio Tridentino permittuntur, quoad vixerint, retinere libere & licite valeant, similiter dispensamus.

§. 7. Quodque omnes, & quæcunque gratiæ, provisiones, Commendæ, ac præsentis, & quævis aliæ Litteræ Apostolicæ, ac etiam in forma Brevis pro illis expediendæ gratis ubique expediantur, tam de capiendâ possessione nomine Cameræ Apostolicæ, quàm in favorem Litterarum Apostolicarum: ubi illis super provisionibus quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum dari poterunt, prout Nostris familiaribus, & continuis commensalibus etiam gratis dantur, ac conceduntur, ac dari, & concedi debent, præcipimus, & mandamus.

Eorundem provisiones expediendæ gratis ubique.

§. 8. Ac Dapiferis præfatis, & eorum singulis, ut quicumque loci Ordinarii, vel Canonici Metropolitanarum, aut aliarum insignium Ecclesiarum, aut personæ quæcunque Ecclesiasticæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, tam in Romanâ Curia, quàm extra eam ad id per eos, & eorum singulos eligendi, seu eligendæ quæcunque pensiones annuas eis, eorumque singulis super fructibus, redditibus, proventibus, Juribus, obventionibus, & emolumentis universis, certis, & incertis, ac distributionibus quotidianis quorumcumque mensarum Episcopatum, Archiepiscopatum, & Abbatium, ac Dignitatum, & Canonicatum, & Præbendarum, cæterorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum, non tamen per Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales obtentorum, & imposterum obtinendorum cum curâ, & sine curâ Secularium, aut quorumvis Ordinum Regularium, seu fructus, redditus, & proventus, aliaque emolumenta, & distributiones hujusmodi reservatas, seu reservatos, ac reservandas, seu reservandos, etiam si aliâs semel, vel pluries translata, seu translata fuerint usque ad summam centum ducatorum, in toto, vel in parte, ac etiam in mortis articulo cassare, & extinguere, ac postquam cessata, & extinctæ fuerint, alias similes pensiones annuas, seu fructus, redditus, & proventus, & alia emolumenta, & distributiones hujusmodi usque ad summam prædictam, uni vel pluribus aliis Personis Ecclesiasticis per eosdem Dapiferos, & eorum singulos nominandis, quocunque, quæcunque, & quæcunque Beneficia Ecclesiastica obtinentibus, & expectantibus, aliâs tamen pensionum hujusmodi capacibus, similiter eis, quoad vixerint, vel eorum Procuratoribus legitimis eisdem modo, & forma, quibus eisdem Dapiferis reservatæ, seu reservati erant, etiam absque Beneficia hujusmodi obtinentium consensu, integrè perfolvendas, seu perfolvendos, exigendos, levandos, reservare, constituere, & assignare valeant, ipsique translatarii in possessionem dictas pensiones exigendi, in quâ ipsi Dapiferi tempore translationis per eos vigore præsentium faciendæ, existebant in omnibus, & per omnia subrogati esse censeantur, etiam concedimus, & indulgemus, etiam si similem gratiam à Prædecessoribus Nostris aliâs forsan obtinuerint, seu quilibet eorum obtinuerit, illius effectum cumulative eos gaudere, & potiri volumus. Decernentes ipsas translationes, & novas reservationes, Constitutiones, & assignationes pensionum, seu fructuum, reddituum, & proventuum, aliorumque hujusmodi plenam roboris firmitatem obtinere, ipsosque Beneficia, super quorum fructibus, redditibus,

Indulgentiam pro transferendis pensionibus usque ad centum ducatos.

Hoc indulgentiam intelligendum cum alii similibus.

Indultum
retinendi
pensionis
pro ducen-
tis absque
delatione
habitus
Clericalis,
& in statu
Conjugali

Exemptio
à Spoliis.

Facultas
testandi
etiam pro
adscriptis
Ordinibus
Religionis
Militaris.

Inhibetur
ad
hunc effec-
tum Offi-
cialibus
Camerae
Apostoli-
ca.

Clausula
sublata, ac
Decretum
irritans.

& proventibus reservatae fuerint, obtinentes ad illas perfolvendas efficaciter obligatos fore.

§. 9. Ac eisdem Dapiferis, ut ratione quorumcumque pensionum eis, & eorum cuilibet, super quibuscumque Beneficiis Ecclesiasticis, ut praefertur, vel aliis quomodolibet qualificatis, non tamen ultra summam ducentorum ducatorum auri de Camera, pro quolibet nunc, & pro tempore reservatarum, ac reservandarum, habitum, & tonsuram Clericales gestare, & in illis, dummodo ipsi habitum decentem, & honestum deferant, incedere minime debeant; nec ad id à quoquam cogi, seu compelli, minufque aliquas sententias, aut censuras, etiam privationis, seu cessationis ipsarum pensionum ad praedictam summam ducentorum ducatorum ascendentis, & reservatas, ut praefertur, incurrere etiam si matrimonium contraxerint cum unica tantum, & virgine, recipere, & retinere.

§. 10. Postremo quod bona quaecumque ad dictos Dapiferos, & eorum quemlibet spectantia, & per eos etiam ratione quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum, etiam Canonicatum, & Praebendarum, ac Dignitatum quorumcumque per eos alias obtentorum, & obtinendorum, aut alias quomodolibet, & quovis quaesito colore, vel ingenio, seu eorum industria, legitime tamen, & licite acquirenda, etiam in Urbe, ejusque districtu, ac ubicumque existentia, spoliis minime subiaceant.

§. 11. Sed ipsi Dapiferi etiam si Religioni alicujus Militiae, non tamen S. Joannis Hierosolymitani adscripti fuerint, de illis in favorem quorumcumque personarum, de jure tamen capacium, etiam si Curiales esse desierint, & in quocumque loco, quantumvis remoto, eos decedere contigerit, testari, & alias disponere, eisque ab intestato decedentibus eorum haeredes quicumque succedere liberè, & licite valeant, simili modo concedimus, & indulgemus.

§. 12. Praecipientes, & mandantes Dilectis Filiis nunc, & pro tempore existent. S. R. E. Camerario, Thesaurario, Praesidentibus Clericis Camerae Nostrae Apostolicae, & quibuscumque aliis spoliolum hujusmodi Collectoribus, ac Militiarum praefatarum Officialibus, aut Procuratoribus, ne in hujusmodi bonis manus apponant, neque heredes dictorum Dapiferorum deluper molestare audeant, seu praesumant, ac etiam decernentes donationes, etiam per viam Testamenti, & Codicillorum per ipsos Dapiferos de eorum bonis hujusmodi, servatis de jure servandis, faciendas semper, & perpetuo validas, & efficaces fore, nec eosdem Dapiferos, eorumque aliquem ad Litteras super praesentibus conficiendas in dicta Camera insinuandum, aut admitti, & registrari petendum teneri, nec illas, etiam si intra tempus legitimum insinuatæ, admittæ, seu registratæ non fuerint, propterea minus validas censeri, sed suos plenarios effectus fortiri debere, easdemque praesentes, & in eis contenta quaecumque sub quibuscumque revocationibus, limitationibus, suspensionibus, modificationibus, Decretis, Constitutionibus Apostolicis, similium gratiarum revocationis, vel quæ eas limitarent, aut moderarent, quæ à Nobis, & dicta Sede pro tempore, & de quibuscumque causis, etiam urgentissimis, etiam in Divini cultus augmentum, etiam consistorialiter, vel alias quavis auctoritate hactenus, vel imposterum emanaverit, minime comprehendere, sed quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum repositas, & reintegratas esse, & censeri.

§. 13. Sicque per quoscumque Judices, etiam Commissarios quavis auctoritate fungentes in quavis causa, & instantia: sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definituri debere: Irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingerit attentari; Et insuper Dilectis Filiis Referendario, & Computatori Collegii Scriptorum Litterarum Apostolicarum, &

aliis, ad quos earumdem Litterarum expeditio spectat, in virtute sanctae obedientiae, & sub poena indignationis Nostrae; Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus mandamus, ut easdem praesentes, & forsan alias Litteras super praemissis omnibus, tam conjunctim, quam divisim, ac pro singulis quibuscumque derogationibus, Decretis, & clausulis in eis contentis, gratis de mandato Nostrum ubique in omnibus Officiis, etiam Abbreviatorum, Sollicitatorum, Secretariorum, seu illorum suppressorum loco Ministrorum Camerae Apostolicae Plumbi, & Registri absque aliqua pecuniarum exactione, etiam per viam compositionis faciendam omni contradictione, & dilatione cessantibus, signent, expédiant, & expediti faciant.

§. 14. Non obstantibus eisdem praemissis, ac de certo Notariorum numero, etiam si ad illum non sit devenit, quibus alias per praesentes non intendimus derogare, ac regulam Nostram de praestando consensu in Pensionibus, ac felicis recordationis Pii Papae IV. Praedecessoris Nostri, de similibus, vel dissimilibus gratiis in Camera Apostolica infra tres menses praesentandis, ac recolendae memoriae Pii Papae V. etiam Praedecessoris Nostri contra illegitimos, ac Pictavensis Concilii, & aliis Apostolicis, ac etiam in Universalibus, Provincialibusque Conciliis, editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & ordinationibus, & Monasteriorum, Ecclesiarum, Ordinum, ac etiam Urbis Romae, & aliarum Civitatum, Oppidorum, & Terrarum, aut Camerae praedictae, ac quarumvis Universitatum, etiam juramento, confirmatione, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, stabilimentis, usibus, Decretis, ac etiam novis reformationibus, ac etiam legibus, tam Pontificiis, quam Imperialibus, Regiis, & Ducalibus, etiam Sacris Canonibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis, Superioribus, ac personis, & locis quibuscumque in genere, vel in specie sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibuscumque derogationibus derogationis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis irritantibus, & aliis Decretis, etiam vim contractus, & Statuti perpetui continentibus, etiam Motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, ac alias forsan in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis, inter alia disponentibus, quod Beneficia Urbis non nisi personis certis modo, & forma qualificatis, & oriundis ex certis locis, ac trium Ordinum Militarium expresse professis, conferri, & commendari soleant, quibus omnibus, etiam si alias pro eorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda foret, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & formam in illis traditam observatam, inserti forent, praesentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permanens, hanc vice dumtaxat specialiter, & expresse harum serie, Motu pari derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Fiat Motu proprio A.

Et cum absolutione à censuris ad effectum &c. & in casibus Regulæ de infordecentibus cum opportuna illius, nec non alterius Regulæ de non tollendo jure quaesito, aliisque necessariis, & opportunis derogationibus, quatenus opus sit, & quod indultorum, concessionum, gratiarum, derogationum, aliorumque praemissorum omnium, & singulorum major, & verior specificatio, & expositio fieri possit in Litteris, in quibus singulorum Dapiferorum nomina, & cognomina, Ordines, qualitates, gradus,

Derogatio
contrariis.

Transsum-
ptorum fi-
des.15. Jul.
1691. Pont.
An. primo.

Dieceſes, Patriæ, & alia requiſita exprimi, & deſcribi, ſeu pro expreſſis, & deſcriptis haberi poſſint, juxta notulam per ipſos, ſeu eorum Deputatos conſectam ſimul, vel ad partem etiam in una non facta mentione de alia, vel aliis, prout videbitur expedire, & expedien. &c.

§. 15. Volumus autem, quòd Litterarum ſuper præſentibus conſciendarum tranſumptis, etiam impreſſis, & ſigillo, & manu alicujus Perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, & ſubſcriptis, eadem fides, tam in Judicio, quàm extrà illud adhibeatur, quæ originalibus Litteris adhibetur, ſi forent exhibitæ vel oſenſæ. Volumus autem, quòd ſola præſentis Motus proprii Noſtri ſignatura ſufficiat, & ubique fidem faciat in judicio, & extrà illud, Regulâ quâcunque contraria non obſtante.

Fiat A.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Id. Julii
Anno Primo.

Nihil I. de Laurentis.

Reg. Libro primo Secretorum fol. 145.

N O M I N A.

Eminentiffimorum DD. Cardinalium, & Dapiſerorum
ſunt hæc, quæ ſequuntur.

ANTONIUS PIGNATTELLUS nunc INNO-
CENTIUS XII. Neapolitanus.

Ferdinandus Patronus, Interamnenſis.

E P I S C O P I V.

Alderanus Episcopus Oſtiens. S. Collegii Decanus
Cardinalis Cybo, Januenſis.

Joſeph Scandriglia Sacerdos, Terracinen.

Flavius Episcopus Portuenſis S. R. E. Cardinalis Chi-
ſius Archiprebyter, Baſilicæ Lateranen. & Signa-
turæ Juſtitie Præſectus, Senenſis.

Marchio Laurentius Montorius Romanus.

Jacobus Episcopus Tuſculanus S. R. E. Cardinalis
Franſonus, Januenſis.

Antonius Poſterna Clericus, Albanen.

Palutius Albertonius Episcopus Sabinenſis Card. de
Alteriis, S. R. E. Camerarius, Romanus.

Mutius de Maximis, Romanus.

Emanuel Theodoſius Episcopus Albanen. S. R. E.
Card. Bullionus, Gallus.

Abbas de Guenegaud, Pariſien.

P R E S B Y T E R I X L V I I.

Franciſcus tituli S. Mariæ in Via Prior Preſbytero-
rum S. R. E. Card. Maidalchinus, Viterbienſis.

Dominicus Grippo Clericus à Boſco Nullius Dieceſ-
is Provinciæ Salernitanæ.

Carolus tituli S. Laurentii in Lucina Sanctæ Roma-
næ Eccleſiæ Cardinalis Barberinus, Archiprebyter.
Baſilicæ S. Petri, Romanus.

Gregorius de Gregoriis Juſtinianus Eques Hieroſo-
lymitanus, Romanus.

Gregorius tit. S. Marci S. R. E. Card. Barbadicus, E-
piſcopus Patavinus, Venetus.

Franciſcus Morus à Ponte Aſſia.

Joannes Nicolaus tituli Sanctæ Mariæ Tranſpontinæ
S. R. E. Card. de Comitibus, Episcopus.

Anconitanus, Romanus.

Abbas Hippolytus Maldentius Clericus, Foroli-
vien.

Julius tituli S. Praxedis S. R. E. Card. Spinula, Epi-
ſcopus Lucenſis, Januenſis.

Abbas Joſeph Bertachinus, Firmanus.

Joannes tit. SS. Viti, & Modeſti S. R. E. Card. Del-
phinus, Patriarcha Aquilejenſis, Venetus.

Nicolaus tituli Sancti Callixti S. R. E. Card. Acciajo-
lus, Florentinus.

Abbas Ubaldinus de Ubaldinis, Florentinus.

Gaſpar tituli S. Mariæ in Tranſtyberim S. R. E. Car-
dinalis de Carpineo, Sanctiſſ. D. N. Vicarius Ge-
neralis, Romanus.

Abbas Nicolaus de Archangelis, Balneoregien.

Cæſar tituli SS. Trinitatis in Monte Pincio S. R. E.
Cardinalis Deſtræus, Gallus.

Marchio Sfortia à Penna Clericus.

Petrus tit. S. Eufebii S. R. E. Card. Bonſius, Archie-
piſcopus Narbonenſis, Florentinus.

Alexander Arduinus Sabbatinus Archidiaconus Pi-
ſanenſis.

Fr. Vincentius Maria Ord. Prædicat. tit. Sancti Xyſti
S. R. E. Card. Urſinus, Archiepiſcopus Beneven-
tanus, Romanus.

Joannes Baptiſta Sanſimeonus, Romanus.

Federicus tit. S. Anaſtaſiæ S. R. E. Cardinalis Colum-
na, Peruſinus.

Abbas Petrus Antonius Venturi Clericus Came-
rinen.

Franciſcus tit. S. Matthæi in Merulana S. R. E. Card.
Nerlius, Florentinus.

Comes Antonius Baſſi de Nepis Clericus Aſſi-
enſis.

Hieronymus tit. S. Silveſtri in Capite S. R. E. Card.
Caſanate, Neapolitanus.

Marchio Pompeus Azzolinus, Firmanus.

Galeatius tit. SS. Quirici, & Julitæ S. R. E. Card.
Mareſcortus, Romanus.

Antonius Gabriellus, Romanus.

Fabritius tit. S. Chryſogoni S. R. E. Card. Spada,
Romanus.

Antonius Felix Saracinellus Urbevetanus Eques S.
Stephani.

Fr. Philippus Thomas Huvard Ord. Prædic. tit. S.
Mariæ ſuper Minervam S. R. E. Card. de Nor-
folcia, Archiprebyter S. Mariæ Majoris, An-
gulus.

Joſeph Antonius Calabretus, Squillacen.

Joannes Baptiſta Spinula tit. S. Cæcilie S. R. E. Card.
S. Cæcilie nuncupatus, Januenſis.

Franciſcus Joannes Sfortia, Cremonen.

Franciſcus tit. S. Stephani in Celio Monte S. R. E.
Cardinalis Bonvilius, Lucenſis.

Joannes Paſquinius Giuntini Sacerdos, Lucenſis.

Savus tit. S. Petri in Vincula S. R. E. Card. Millinus,
Episcopus Urbevetanus, Romanus.

Joannes Franciſcus Gonzales, Madriti Toletan.
Dieceſ.

Fridericus tit. S. Alexii S. R. E. Card. Vicecomes, Ar-
chiepiſcopus Mediolani, Mediolanenſis.

Abbas Franciſcus Belcredus, Mediolanen.

Fr. Raymundus Ord. Prædicat. tit. S. Mariæ Angelo-
rum S. R. E. Card. Capifuccus, Romanus.

Petrus Paulus de Fabiis, Romanus.

Fr. Laurentius Brancatus Ord. Min. Conv. tit. Baſi-
licæ Sanctorum XII. Apoſtolorum S. R. E. Card.
Lauræa nuncupatus.

Jacobus tit. S. Mariæ in Araceli S. R. E. Cardinalis
de Angelis, Piſanus.

Comes Alexander Franciſcus Galletus Piſanus,
ejusdem Civitatis Eccleſiæ Primizialis Cano-
nicus.

Opitius tit. S. Martini in Montibus S. R. E. Card. Pal-
lavicinus, Episcopus Spoletanus, Januenſis.

Nicolaus de Libertis Leodiienſis, Piſanus.

Marcellus tit. S. Prifcæ S. R. E. Card. Duratius, E-
piſcopus Carpenſtoracienſis, Januenſis.

Abbas Paulus Gregorius de Ferrariis, Januenſis.

Marcus Antonius Barbadicus tituli Sanctæ Suſan-
næ, S. R. E. Cardinalis S. Suſannæ nuncupatus,
Episcopus Montis Faſici, Venetus.

Comes Philippus Rinaldus à Turri Alben. in Pede-
montio.

Carolus tit. S. Auguſtini S. R. E. Card. Cicerus,
Episcopus Comi, Comenſis.

Joannes Antonius Cicerus, Venetus.

Leopoldus tit. S. Hieronymi Illyricorum S. R. E.
Card. Kollonitz, Archiepiſcopus Collocenſis, &
Baechienſis, Germanus.

Fran-

Franciscus Medicina Testonus Clericus, Mediolanensis.
 Stephanus S. R. E. Card. le Camus, Episcopus Gratianopolitanus, Gallus.
 Gaspar Villalobos Hispanus Toletanæ Diocesis.
 Joannes tituli S. Petri in Monte Aureo S. R. E. Card. Goessen, Episc. Gurcensis, Germanus.
 Joseph Bartolus de Perinzi, Romanus.
 Petrus Matthæus tit. S. Marcelli S. R. E. Cardinalis Petrucci, Episcopus Æsii, Æsinus.
 Jacobus Ripantus, Æsinus.
 Fr. Petrus Ord. B. Mariæ de Mercede Redempt. Captiv. tituli S. Crucis in Hierusalem, S. R. E. Card. de Salazar, Episcopus Cordubensis, Hispanus.
 Ignatius Palmeque de Zespedes Eques S. Jacobi, Hispanus de Guadalaxara Toletan.
 Joannes Calimirus tit. S. Joannis ante Portam Latinam S. R. E. Card. Denhoff, Episcopus Cæsenatensis, Polonus.
 Abbas Joannes Baptista Barbavarius, Faventinus.
 Fr. Joseph Saens Ord. S. Benedicti tit. S. Balbinæ S. R. E. Cardinalis de Aguirre, Hispanus.
 Gabriel a Mesa à Covarrubias, Madriti Toletan. Diocesis.
 Leander tituli Sanctorum Nerei, & Achillei S. R. E. Card. Colloredus, Sanctissimi D. N. Pœnitentiarum Major, Foroliviensis.
 Abbas Franciscus Xaverius Guicciardus Rhætus Clericus, Comensis Diocesis.
 Fortunatus tit. Sanctorum Joannis, & Pauli S. R. E. Card. Carafa, Episcopus Averfanus, Neapolitanus.
 Abbas Dominicus Todrus, Neapolitanus.
 Bandinus tit. S. Thomæ in Parione S. R. E. Card. Panciatius, Florentinus.
 Franciscus Cacciavillanus Clericus ab Appignano Dioc. Prænestin.
 Jacobus tit. SS. Marcellini, & Petri S. R. E. Card. Cantelmus, Archiepiscopus Neapoli, Neapolitanus.
 Abbas Jo. Bapt Eleofarius Civitatis Castellæ J. U. D. Ferdinandus tit. S. Clementis S. R. E. Cardinalis de Abdua, Mediolanensis.
 Abbas Joannes Dominicus Massa Mediolanensis, J. U. D.
 Tullanus S. Agnetis extrâ Mœnia S. R. E. Card. de Fourbin de Janfon, Episcopus Bellovacensis, Gallus.
 Comes Paulus Emilius Roncallus de Fluminibus, Clericus Assisensis.
 Joannes Baptista tituli S. Laurentii in Pane, & Perina S. R. E. Card. Rubinus, Episcopus Vicentinus, Venetus.
 Joseph Romangilius Ferrarien. Clericus Conjugatus.
 Franciscus tit. S. Mariæ de Populo S. R. E. Card. Judice, Neapolitanus.
 Abbas Afcianus Blasi, Romanus.
 Joannes Baptista tit. S. Bernardi S. R. E. Card. Costagutus, Romanus.
 Franciscus Ravenna, Romanus.
DIACONI XV.
 Urbanus S. Mariæ in Viâ latâ primus Diaconus S. R. E. Cardinalis Sacchetti, Episcopus Viterbiensis, Florentinus.
 Joannes Bernardus Galefus Clericus Finariensis, in Curia Advocatus.
 Joannes Franciscus S. Nicolai in Carcere Tulliano, S. R. E. Card. Ginettus, Archiepiscopus Firmanus, Romanus.
 Felix Bonafides Clericus Conjugatus, Firmanus.
 Benedictus S. Agathæ S. R. E. Card. Pamphilius, Signaturæ Gratiæ Præfectus, Romanus.
 Cæsar Cecala, Mellanen.
 Dominicus Maria S. Eustachii S. R. E. Card. Curfus, Episcopus Ariminensis, Florentinus.
 Abbas Joannes Gregorius Boëtius Sacerdos, Ariminensis.

Joannes Franciscus S. Cæsarei S. R. E. Card. Nigronus, Episcopus Faventinus, Januensis.
 Abbas Dominicus Urfaya à Bosco Nullius Dioc. Provinciae Salernit.
 Fulvius Sancto. Cosmæ, & Damiani S. R. E. Card. Astallius, Romanus.
 Abbas Joannes Petrochius Canonicus Cathedralis Reatinæ J. U. & Sacræ Theologiæ Doctor.
 Franciscus Maria S. Mariæ in Dominica S. R. E. Card. Medices, Florentinus.
 Fr. Rutilius Sansedonius Eques Hierosolymitanus, Senensis.
 Raynaldus S. Mariæ de Scala S. R. E. Card. Estensis, Mutinensis.
 Comes Robertus Fontana quon. Comit. Reguli, Mutinensis.
 Petrus S. Laurentii in Damaso Card. Ottobonus S. R. E. Vicecanc. Venetus.
 Jacobus Tassius, Regien.
 Carolus S. Mariæ in Cosmedin S. R. E. Card. Bichius, Senensis.
 Antonius Fantucius, Bononienis.
 Joseph Renatus S. Georgii S. R. E. Card. Imperialis, Januensis.
 Abbas Desiderius Spretus Ravennaten.
 Aloysius S. Mariæ in Porticu S. R. E. Card. Homodeus, Mediolanensis.
 Simeon Paetrinus Clericus Conjugatus, Firmanus.
 Joannes Franciscus S. Hadriani S. R. E. Card. Albanus, Urbinas.
 Abbas Camillus Rasponus Ravennaten. J. U. D.
 Barberinus S. Angeli in Foro Piscium S. R. E. Cardinalis Franciscus nuncupatus, Romanus.
 Marchio Carolus de Rubeis, Romanus.
 De Alteris S. Mariæ in Aquiro S. R. E. Card. Laurentius nuncupat. Romanus.
 Abbas Petrus Sanctus Butius, Romanus.

Historica relatio vitæ, mortis, miraculorum, Beatificationis, & Canonizationis B. Joannis de Deo, ab Alexandro VIII. Sanctorum Confessorum non Pontificum Catalogo inscripti.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei; Ad perpetuam rei memoriam.

Rationi congruit, & convenit æquitati, ea quæ Romani Pontificis providâ deliberatione, ac Venerabilium Fratrum suorum S. R. E. Cardinalium, nec non Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, tunc in Romana Curia commorantium, unanimi consilio decreta, definita, & statuta fuerint, licet ipsius superveniente obitu Litteræ Apostolicæ desuper confectæ non fuerint, suum debitum consequantur effectum.

§. 1. Dudum siquidem felicitis recordationis Alexander Papa VIII. Prædecessor Noster piâ secum meditatione perpenderit, quod Romana Catholica Ecclesia, quæ supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Jesu ædificata à Deo Patre misericordiarum perennibus gratiæ celestis benedictionibus cumulatur, sicut tot documentorum est munita præfidiis, ita Sanctorum Virorum in dies confirmatur exemplis, quæ cum ad pietatem magnopere moveant, Divinæ mos est Providentiæ, juxta locorum & temporum opportunitates, suos Electos Servos ad eximie Sanctitatis gradum sublimare, ut fideles exemplaria hæc intuentes habeant insimul, quid venerentur, & imitentur ad venerationem obsequiosè demissi, strenuè ad imitationem erecti; cumque heroicarum virtutum, præsertim verò ignitæ charitatis exemplar insigne prodiderit Beatus Joannes de Deo nuncupatus, qui eandem Ecclesiam novâ etiam prole fecundavit Fratrum Hospitalitatis, & infirmis infervientium longè,

II.

Proemium

B. Joannes de Deo ab Alexandro VIII. Canonizatus hicque ejus vita & mors enumeratur.